Cracoviensis Studii Univ. fasc.
Promotiones Ordinis Philosophor.
1752 15 Decembris.

Poezya 3034.

Poborski Cantii Josephi: Portae triumphales ad ascensum literarii honoris.

PORTÆ TRIUMPHALES

Ad Ascensum Literarii Honoris

Dum

In Alma Universitate Cracoviensi

Per

Illustrem Clarissimum & Admodùm Reverendum Dominum,

M. STANISLAUM FOLTANSKI,

Philosophiæ DOCTOREM & PROFESSOREM, Collegam Minorem, Ecclesiarum; Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ CANONICUM, Parochialis in Osiek CURATUM, ac interea Artisticæ Facultatis DECANUM.

Præsente Magnorum Hospitum Corona

Artium Liberalium & Philosophiæ

BACCALAUREI,

Ritu solenni Renuntiarentur

A

V. CANTIO JOSEPHO POBORSKI,

Ejusdem Laureæ Candidato,

Artificiô Pòéticô

ERECTÆ.

Annô Domini M.D.CC.LII. *Die* 15. *Mensis Decembris.*

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

Militibus ſua Porta patet - - - *Sedulius.*

Ornentur Portæ & grandî janua laurô *Juven: Satyr. 6*

Portis ſuſpende coronas. - - *Idem Satyr: 9.*

Hæc eſt digna Tuîs Porta triumphîs *Martialis l. 8.*

Fama Viro turres Portasq; tuenti.
Sidonius Apollinaris.

Rari quippe boni numero vix ſunt totidem quot
Thebarum Portæ, vel divitis oſtia Nili.
Juven: Satyr. 9.

ILLUSTRI
&
ADMODUM REVERENDO DOMINO
D. JOSEPHO UTYLSKI,
PRÆPOSITO RZEGOCINENSI
Mecænati Amplissimo.

AD *Ascensum Philosophici Honoris, quas nobis operosus labor, extruxerat Portas, has Tibi attollimus in applausum* Mecænas Faventissime. *Ut enim illæ surrexissent nobis, etiam mihi* JOSEPHE *fabrilem adhibuisti manum, hinc æquum est, & Tibi eas esse triumphales. Necesse præterea fuerat, ut numerosô virtutum stipatus satellitiô. virtuti & eruditioni reseratas ingredereris Portas, & Tuis aurô cedrôq; notandis facinoribus, illa dicarentur Trophæa, quæ non nisi condignis meritis à Pallade consecrantur erudita. Nolo hic indigitare indefessos Tui in Ecclesia* DEI *labores, recensere virtutes, enumerare merita, quòd sis vigilantiâ, verbô & exemplô Pastor; versantur in oculis omnium documenta, Mores ad regulam honesti compositi sine nota, vitæ exemplaris progressus sine crisi, profunda de rebus intelligentia, sine fuco, in Te Mysta resplendent Populo, ut Solis radii in crystallo. Desudas continuò in Vinea Christi Operarius, ne Palmites Vitis veræ, (fideles intelligo) subtracto vigore, tanquam stipulæ siccæ arescant, nullum fructum allaturi. Non indulges in Ecclesiasticis Exedris verè Vir Apostolicus, quantumvis lassatis viribus, nec parcis ad decorem Domûs* DEI, *quan-*

quantumvis erogatis proventibus, pro commisso Grege assiduus, in Divos liberalis. Ecclesiæ Præposituralis in Wisnicz Præbendarius, *ibidemq́ Rosarii, B. V. MARIÆ aliquôt annîs* Promotor, *non passus es in area cordium, has sterilescere Rosas, quibûs Regina Cælorum coronatur. Non solùm ferventî zelò, sed & benefica manu, ampliâsti Matris DEI Honorem, & felicior Crates, Mari Gratiarum non modicum de ære proprio injecisti,* Ecclesiæ Rzegocinensis *Parietes gratias Tibi videntur agere, quos injuriâ temporis ad ruinam vergentes, ad præstinum reduxisti statum, præ vetustate squallentes, mirum in modum exornâsti. Restaurata Divorum Pulvinaria, & noviter erecta Divo Tutellari Ara, est & erit Tuæ in Superos liberalitatis, perennius ære monumentum. Quid dicam de effusa Tui in indigentes munificentia, subvenire miseris, egenis alimenta dare, Tibi;* JOSEPHE *consentaneū. Ast me tacente, deprædicat hanc stipem petentium turba, & Sacri Sacrarum Religionum extollunt Cætus intra quos etiam obstricti Tuis Gratiis recensentur Clientes, quibus & statum & ad statum, liberaliter providisti. Non immemor & ego vivam, Tuorum quos experior favorum, in cujus rei contestationem, hoc Tibi gratitudinis meæ præsento monumentum, candido de pectore vota, vel his quas Tuo Nomini consecro inscribo Portis, pateat Tibi quorumvis Janua Honorum, ab omni casu securus, Populo & Ecclesiæ prosper & incolumis vivas quàm diutissimè*

Ita indesinenter precatur.

ILLUSTRIS & ADMODUM REVERENDÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Obsequentissimus Servus

Author Operis.

ANGULARI
Portarum Nostrarum & Domûs Sapientiæ
LAPIDI
B. IOANNI CANTIO
S. Theologiæ DOCTORI & PROFESSORI
Regni Poloniarum & M. D. Lithuaniæ
ac Universitatis Cracoviensis
SINGULARI PATRONO.

ODE VOTIVA

Asiæ fastus, Babylon superba,
Ilium sedes Priami stupenda,
Cæsarum Turres, Atriîs decora
Tecta Tonantis.
Memphèós moles, Rhodii Colossi,
Ære candentes Danaum Penates,
Regiæ solis, trabeata Theucrûm,
Fana Deorum.
En humi serpunt graviore casu,
Proch dolor! pulsant steriles agros, quæ
Nuper excelsos apices levabant,
Sidera versùs.
Nixa præruptîs monumenta saxîs,
Non ne erat fatis rapidis necesse,
Cardine è fracto periisse quamvis,
Limina Divûm.
Sæculum quintum Jagelonis Aula
Vincit & durat solidè per ævum,

Non eam præceps Aquilo nec Auſter
Nec ferit æſtus.
Fata contundit ſeniô gravata
Mater hæc, ſed non queribunda prolis,
Claret Arctoô ſuper Orbe Muſis
Sol velut Aſtris.
Hanc Scholam Regni Proceres Togatos,
Non ebur candens, Pariumvè marmor,
Carpathi ſed quem juga celſa tollunt,
Axe ſub ipſo.
Firmat æternùm Lapis Angularis,
Sæculis à tot Baſis & Columna,
Unicum CANTI ſtabilimen, in Quo
Cardo ſtat omnis.
Roſtra Doctorum Peripathus atquè
Regium munus, Cruce nexa Sceptra,
Stant ſuper Fulcro Cracidos in Urbe,
Firmiter iſto.
Evomat Diras Stygias Erinnys,
Cerberum Parcæ moveant nefandæ,
Fata conjurent Lacheſis maligna
Concitet Orcum.
Non minas centum, totidemquè fata
Evocent quamvis Acheronta demùm,
Expavent Craci Laribûs Togatîs,
Clara Lycæa.
Fulcit hæc Dextrâ benignâ JOANNES,
Ne ruant caſu retinet potenter,
Tota Majeſtas Solii Minervæ,
Incubat Illi.
Ergo quas Portas labor eruditus
Struxit, & Pallas ſtudiis amica,
Robores CANTI Baſis Academi
Orbis & Atlas.

Illustribus Clarissimis & Admodùm Reverendis Dominis,

DD. EXAMINATORIBUS.

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

M. STANISLAO FOLTANSKI,

Philosophiæ DOCTORI & PROFESSORI, Collegæ Minori, Ecclesiarum Collegiatæ; SS. OO. Cracoviæ CANONICO, Parochialis in Osiek CURATO, ac interea Facultatis Artisticæ DECANO.

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

M. ANTONIO MICHALSKI,

Philosophiæ DOCTORI, Ejusdemq; Regio & Tyliciano Eloquentiæ PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Cracoviæ CANONICO.

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

M. ANTONIO KOCIKOWSKI,

Philosophiæ DOCTORI & PROFESSORI, Collegæ Minori, Ecclesiæ Archi-Presbyteralis B. V. M. in Circulo Cracoviensi Radiminsciano PÆNITENTIARIO.

CARMEN HEROICUM.

Lætus fronte gerens laurus post prælia miles
Mavorti vittas litat, & quæ dextra triumphos
Messuerat, prosternit palmas. Omine fausto
Æquora pulsando remex, non tristis adorat
Numina Nereides; ac hæc, quæ mare triremis
Sulcabat, demulcet Nymphas. Baltheus ille
Cæli Sole trahat radians, quod mille colores,
Cornua Soli flectit. Messor fruge beatus
Arva colit, Cereri carpsit quas, reddit aristas
In cidarim. Laurus quæ nostrûm tempora cingit,
Vobis debetur Ducibus. Non sic pharetratus Apollo
Pro Troja, non sic pro Græcis sævus Achilles
Stetit, & offensi Jovis ictus hic tulit, ille
Infensum Hectora risit: Vos ut Marte secundo,

Publica res quoties, quoties & Stoa popoſcit,
Pro Patriis Pericles dextrè certatis Athenis.
Quos gravitas matura Viros, quos ſtrenua facta
Semideis æquant Heroibus. Omnibus una
Dexteritas mentisquè vigor, ſolertia virtus,
Ingenium par. Quos magnîs conatibûs æquè
Delegit Pallas, Cathedræ ſeû Dogmata poſcunt,
Solida ſeû quærit Peripathus Scita Sophorum,
Quivis fert ſecum Delphos, arcana reſolvit,
Mente Plato Divus, vel Stoæ maximus ille
Præſes Ariſtoteles docti frons prima Senatus.
Eloquiô celebris Cicero, vel Tullius ore,
Attica mella cui, totam dulcedinis Hyblam
Ceſſit Hymettus. Sed non tantùm nectare lingua,
Labra thymiô redolent, oris flos germine vernat
Facundô Vobis. Mens ſeria, maſcula, conſtans,
Pectoris integritas, prudentia parta per uſus
Longos. Vos Proceres ſummis Statoribus æquant
Orbis Academici pariter Qui ſenſibûs altîs,
Et dictîs gravibûs, quævis ſublimia rerum
Tangitis. Hoc clarè tot grandia facta loquuntur,
Vos Lubrana Pinus, Vos Graci Regia Pallas,
Sic Cathedras ornâſſe videns, ſic Pulpita docta,
Ut meritò Latium noſtris ceſſiſſet Athenis,
Intulit ingeniô primos viciſſe Parentes
Auſoniæ. Hinc Veſtrûm condignis laudibus impar,
Ebria ſit quamvis Heliconis ſepia rivô.
Unde manum juſtè tabula de ſubtraho Vates,
Cernuus ex animo ſubſterno ſerta corollas,
Noſtra Coryphæis noſtris ſacrando trophæa.
Semina jeciſtis, dignum cum fœnore fructus
Reddere Satori. Feciſtis tangere Portum,
In portu Rectoribus, æquum corda dicare
Calles monſtrâſtîs nobis, quibûs itur Honoris
Ad colles, amor unde tener conſecrat in Aris
Thura libaquè Diis. Etenim quot Nomina Veſtrûm
Magna recenſeo, tot Cæli mihi Numina docti
Excipiendum cultu; ſed nequeo capiti dum

Lauri-

Lauriferas imponere frondes, mille corymbos
Substerno pedibus, tribuunt quas officiosi
Affectus herbæ. Non hic Capitolia Vobis
Extruo, vel carie exesos consecro Colossos,
Sed flecto Portas, quarum Vos Cardo fuistis
Flectere si possem Superos, & sidera Cæli
Vos immortales vellem; mortale quod opto,
Sed non est, hinc corde precor transcendite fatum
Et Titulos quosvis, & famæ grande theatrum.
Intrepidus super adversæ sortis STANISLAUS
Rudera stet, magnis meritis pandatur & actis,
Par honor. ANTONIIS faveat fortuna secundis
Auspiciis: Hæc hæc Sapientum Lumina bina,
Tot clareant Titulis, quot factis Orbe refulgent.
Duc trieterides annorum, sis terquè beatus
TERNIO, tercentis Fabiis celeberior arte.

PORTÆ TRIUMPHALES
Ad Ascensum Literarii Honoris VI. V. D. Primæ Laureæ Candidatis ERECTÆ.

I.V.D. HYACINTHO LESZCZYCKI, Porta Virtutis & Honoris.

Cum Lemmate: *Utraq; monstrat iter.*

POrtio lecta Virûm, meritorum Gloria merces,
Orbis amor virtus, Nomina magna facit.
Si populi vis ore coli, vel Stemmata Regum
Indigita, vel dic Herculis acta proba.
Sanguinis es Heres Præcelsi jure Parentum,
LESZCZYCKI nobis clara Propago Lechi.
Te Lucina Parens Augustis fovit in ulnis,
Exceperat virtus, nobiliore sinu.
Indolis egregiæ Dotes sacrando Minervæ,
Fecisti, quod quod mens generosa jubet.
Ingeniò celebris, quavis perfectus in arte,
Sat celeri passu, celsiùs ire soles.

 Spondeo

Spondeo non vanus Vates Capitolia ſcandes,
Offero quas Portas, utraquè monſtrat iter.

II. V.D. VINCENTIO JANCZARSKI,
Porta Romanorum Olympia.
Cum Lemmate: *Aliis famam nomenq; dedit.*

Annibalem Latium, Romam Carthago potentem,
Scipiades fortes, mœnia fracta ſonent.
Hoſtibus à cæſis Cæſar, non cedat & ille,
Quòd Macedo malis, Nomina pulchra trahant.
Te celebrat Pallas, quoties certamina docta
Inſtaurat, toties prælia mente geris,
Non ſic in Circo luſit Romana Juventus,
Nec tot poſt ludos, parta trophæa tulit.
Circuitus ut Tu peragens in Palladis Aula
Victor fronte Tua laurea ſerta refers.
Argumenta Sophûm ſi quæ Tibi Stoa frequenter
Proponit, ſolvis dexteritate ſagax,
Dum Gyganta geris, currens per Olympia quævis,
Nomine reque potes, decies eſſe Sophus.

IV. V.D. STANISLAO BARANSKI,
Porta Apollinis Laureata.
Cum Lemmate: *Hæc me poſt fata manebit.*

LAurus fata ridet, cingit quam Laurea frontem,
Hæc à fatorum fulmine tuta procul.
Laurea Porta Tibi BARANSKI cedit, ut inde
Tegmine ſub laurus, fata maligna domes.
Ut fueris meruit Tua virtus lauriger Hector,
Lilia facundo promis & ore roſas.
Eripis è manibus palmas, non porrigis herbam,
Immortale Tibi venit ab arte decus.
Serpere neſcis humi, ſummos tranſcendis & æquas,
Pallade fœcundum tollis ad aſtra Caput.
Altius ingenium bifidi cacumine Pindi
Prætefers, & mens, non niſi celſa ſapit.
Hæc Tua Te poſt fata manebit adorea laudis,
Magna Trophæa Tibi Delius ipſe parat.

V. V.D.

V. V. D. JOSEPHO WISNIOWSKI,

Porta Augusti Basilica.

Cum Lemmate: *Magnis olim patefacta triumphis.*

NOn solùm Mavors Getico furibundus in Hæmo,
Nec Bellona modò, cæde cruenta nimis.
Pyramides grandes, pomposos mole Colossos,
Erigit Asseclis, post fera bella suis.
Docta Theatrales pariter Sapientia Pompas,
Offert belligeris Pallas amica Viris.
Cæsaris Augusti quondam patefacta triumphis
Quæ fuerat magnis, hæc Tibi Porta patet.
Pallade pro docta certâsti fortiter Heros,
Victori Postes, gloria pandit ovans
Mens cognata Polo prudentia major & annîs,
Virtus, Te magnis æquat in Orbe Viris.
Filius ACCRESCENS, cresces ad culmen Honoris,
Hoc animi spondet, vis generosa Tui.

VI. V. D. JOANNI ZARZYCKI,

Porta Jani è duro lapide.

Cum Lemmate: *Ferreo labore opus.*

Ut Bellona ferax, sic æquè Pallas amica,
Sudori cedit, Martis & artis opus.
Cecropias Arces bifrontis limina Jani,
Ferrô pulsandum, ferrea dextra petit
Viribûs infractîs ZARZYCKI strenue miles,
Pro cydari certas, Hercules arte potens.
Unio rore Poli crescit, sub pondere surgunt
Palmæ, fructificat scissa ligone Ceres.
Fronte Tua stillat sudor, qui gemmeus est ros,
Unde venit Capiti pulchra Corona Tuo.
Pervigil in studiis, oppressus mole laborum,
Pondere firmaris, celsa columna velut.
E spinis fructus acies fert Palladis almæ,
E sudore Tibi Laurea prima viret.

III. V.D. CANTIO JOSEPHO
POBORSKI,
Ejusdem Laureæ Candidato,
AUTHORI OPERIS,
V.D. VINCENTIUS JANCZARSKI,
Ejusdem Laureæ Candidatus
offert in vim mutui affectûs.
Portam Julii Cæsaris, victricibûs signîs coronatã
Cum Lemmate: *Portæ appende Coronam.*

ARtificî dextrâ Portas fabricando, dicâsti
Ad nostrum nobis, clara trophæa decus
In monumenta Tuæ virtutis quæ Propylæa,
Dum meditor possit condere nostra manus
Sacraret Statuas Augusti, flecteret Arcus,
Quæ sit Apelli par, linea ducta precor?
Ipse Polycletus, solus Te sculpere scalprô,
Solus Laudator, Te celebrare potes,
Ore Tuo solùm: nam quæ divisa beatos
Efficiunt, junctim Cæsar utroquè tenes.
Scilicet ingeniô felix, insignis & actîs,
Mente refers quidquid culta Lycæa terunt.
Mores conspicui, prudentia, lingua diserta
Virtutis, Dotum, sunt documenta palam.
Seria scrutando volvis cogitamina si quæ
Vel Jovis est partus, vel Jove digna Dea.
Metra Pòëta refers, sed solus carmine dignus,
Redderet ista tener, sed magis optat amor.
Vive diu prosper, Superi Tua vota coronent,
Hoc Portæ, Nostrûm pectore Lemma datur.

Permissu Magnifici Domini
RECTORIS.